DIDACI COVARRVVIAS A LEYVA TOLETANI, EPISCOPI SEGOBIENSIS,

PHILIPPI SECVNDI HISPANIARVM REGIS, SVMMO PRÆFECTI PRÆTORIO,

OMNIA OPERA MVLTO QVAM PRIVS EMENDATIORA,
Ac multis in locis auctiora: in duos diuiſa Tomos, Prior tria continet opuſcula,
Poſterior autem Septem: quorum nomenclaturam in vno-
quoq; Tomo, proximo folio reperies.

AD FINEM APPOSITVS EST RERVM INSIGNIVM
Index vtrique Tomo communis, & locupletiſſimus.

EA VERO OMNIA, QVÆ AB IPSO AVCTORE ETIAM PAVLO ANTE
Obitum [illegible] addita ſunt, & hactenus typis mandata [illegible] edition[illegible]
[illegible] nihil penitus [illegible].

TOMVS PRIMVS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

LVGDVNI,

Ex Officina Iunctarum. M. D. XCIIII.

VIRO CLARISSIMO BALTASART DE VILLARS IN PRÆFECTVRA LVGDVNENSI PROPRAESIDI PRIMARIO,

ET SVMMI DOMBARVM CONCESSVS SENATORI

Meritiſſimo integerrimo

Ioannes Baptiſta Regnaud. S.

VT olim pacem bonarum omnium rerum, & parentem, & nutricem ſuſpeximus, ſic bellum malorum, & cladium cum publicarum tum priuatarum fomitem, & lernam tam diù florentiſſimum, & Chriſtianiſſimum regnum exagitaſſe conquerimur. Vidimus proh dolor! tam repente exitialem diſſidiorum ciuilium flammam, ciuitates complexas, vidimus inquam, & indoluimus ciuium, amicorum, caſum, & occaſum ſtatus conuerſionem, & euerſionem, vrbes tot ſaculis extructas, euerſas, expilatas, aras proſtratas, fora ſqualida, optimaquæque antiquata, obruta. Inuaſit hic furor ſingula vitæ inſtituta, omnibus nocuit, ſed grauiorem cladem Reipublicæ literariæ aduexit. Ab illis enim ſtudijs ceſſatum eſt, quorum vſus non poteſt in Ciuitate bene conſtituta dimitti, quo ſecundæ res ornantur, & aduerſæ iuuantur. Siluerunt leges inter turbas, & ſtrepitus armorum, noluit, aut non potuit Gallia docere, neque doceri. Hinc Tipographia, celeberrimum poſterioris ſæculi inuentum, quo doctorum lucubrationes perpetuæ memoriæ traduntur grauiſſimam iacturam paſſa eſt, hinc armorum quam librorum vberior quæſtus. At verò fælix, & optatum ſydus Diui illius Auguſti Henrici Opt. Max. quod fauſtiſſimis populi acclamationibus effulſit Lugduni, nouum quoddam ver deſperatis rebus attulit, ſimulq; aurea pacis ſæcula promiſit. Accedit tam certæ ſpei gratiſſimus tuus in Ciuitatem noſtram reditus, qui te Lugdunenſibus ornamentum, foro æquiſſimum ordinis contempti vindicem, bonis omnibus patronum, amicis, & cognatis oblectamentum reſtituit. Cogitantem itaque quo pacto tibi, & mihi qui tuis æque, ac meis rebus lætor, officioſè congratulari liceret me decere, exiſtimaui hoc eruditiſſimi Iuriſconſulti, Præſidis, & Senatoris opus abſolutiſſimum à varijs mendis, quæ antea eruditas aures, neque ſatis patienter audire, neque ſatis commodè tolerare poterant repurgatum, quod nupero fœtu Tipographia noſtra protulit tuo nuncupare nomini. Illud eo vultu quo offertur accipe, & maiora parantem ſimulatq; amorem, officium, & obſequium offerentem, vt tuum, & planè tuum ama tuere, amplectere. Vale Lugduni ex noſtra Tipographia. Calen Aprilis. M. D. XCIIII.

DIDACI COVARRVVIAS A LEYVA TOLETANI, EPISCOPI SEGOVIENSIS,

Supremiq; Hiſpaniarum Senatus Præſidis Meritiſſimi

Practicarum Quæſtionum, Liber vnicus.

TOMVS PRIMVS.

Ex Capite ſequenti.

SVMMARIVM.

1 *GOTHI qua ratione, & quo tempore Hiſpaniarum Imperium obtinuerint.*
2 *Poteſtas temporalis, ciuiliſque iuriſdictio penes ipſam rempublicam eſt, & apud eos, quibus ipſa id muneris commiſerit, & in quo ab Eccleſiaſtica differt.*
3 *Romana reſpublica, omne imperium in Cæſarem Auguſtum, & eius ſucceſſores tranſtulit.*
4 *Regius principatus, vel libera electione populorum, vel hæreditaria Gentilitij primogenij ſucceſſione moribus, aut lege probata, iuſtus omnino cenſetur.*
5 *Regnum omnium rerum publicarum eſt præſtantiſſimum.*
6 *Regia poteſtas ex Dei, & naturæ ordinatione ſtabilitur.*
7 *Caſtellanum regnum iure Gentilitiæ ſucceſſionis primogenitis defertur.*
8 *Salica lex apud Gallos, quæ ſit?*
9 *Caſtellanæ reipub. tota iuriſdictio penes Regem eſt.*
10 *Caſtro à Rege alicui conceſſo, an cenſeatur conceſſa iuriſdictio, & quid de mero, ac mixto imperio.*

Tota Ciuilis Caſtellanæ Reipublicæ poteſtas, & iuriſdictio, qua ratione penes ipſum Regem ſit.

CAPVT PRIMVM.

ROMANIS OLIM HISPANIAS obtinentib. Gothiſque à Septentrione totam Europam bello, armis, & induſtria vaſtantibus cum & nunc Vandali, Alani, & Sueui relictis Galliis, Hiſpanias inuaſiſſent: Honorius Imperator, Gothis eorum Rege Ragadaiſo in Fæſulanis montibus occiſo, clade inſigni ab Stilicone Romanorum Duce, & conſule afflictis, eiuſdem
1 gentis Principi Alarico Gallias, Hiſpaniaſque, quas iam † penè perdiderat, inito cum Senatu cõſilio conceſſit, vti commemorant Rodericus Toletanus lib. 2. rerum in Hiſpania geſtarum cap. 4. & 10. Lupi de regno Nauarræ 6. part. § 4. Quo iure, mortuo poſt euerſionem Romanæ vrbis, Conſentiæ Alarico, Athaulphus Gothorum Rex miſeratus calamitatis Hiſpanorum, ipſam à Barbaris patiebantur, auxilium eis impigrè laturus Hiſpaniam aggreditur, eoque intra breue tempus à ſuis, interfecto, Anno Domini 416. Segericus, qui eidem ſucceſſit, mox vt regnare cœpit occiſus, vix inter Gothorum Reges propter breuitatem temporis ab Hiſtoricis ponitur. Poſt hunc Vualia Gothorum Rex, pace cum Honorio pacta, Vandalos, & Alanos penè extinxit, ob eaſq; res bene geſtas ab Imperatore, Aquitania, & maxima Narbonenſis Prouinciæ parte donatus eſt. Quod Proſper Aquitanicus, & Iſidorus teſtantur. Idem ſcribit Rodericus Toletanus cap. 7. & poſt eos Paulus Aemilius hoc ipſum aſſeuerat. Rurſus Theodoredus Rex non ſatis his prouincijs apud Gallias contentus Hiſpanias inuaſit, cui Turiſmundus ſucceſſit, eoq; à quodam familiari occiſo, Theodericus permiſſu Imperatoris Hiſpanias ingreſſus, primus in eis Gothorum Rex obtinuit Imperium, belloq; Sueuos domuit ac paulatim maxima Hiſpaniarum parte ſubacta, Gothorum genti eas ſedes ſtabilire ita conatus eſt, vt qui eidem in regno ſucceſſerunt grauiter ac moleſtè tulerint, Romanorum nomẽ adhuc in Hiſpanijs veteris Imperij, & principatus iura quædam obtinuiſſe, donec Siſebutus Rex propè Annum domini, 615. expulſis profligatiſque Romanis, Hiſpaniarum Monarchiam conſequutus eſt. Huic ſiquidem Regi hoc tribuit Paulus Aemilius lib. 1 de geſtis Francorum. Dicunt tamen Iſidorus, Rodericus Toletanus, & Alfonſus Burgenſis id de Suintilla Rege, Richaredi primi filio tradidere, qui cœpit regnare, Anno Domini, 616. atque ideo apparet id contigiſſe circa Annum Domini, 628. Nam & Sanctus Iſidorus ad Annum Decimum Suintillæ Regis Gothorũ Hiſtoriam proſequutus eſt. Poſt hæc Gothorũ Principes Hiſpaniarũ Imperium Regio Monarcharũ nomine pacatiſſimũ habuerunt ad Annum vſq; Domini, 714. Quo expeditione Comitis Iuliani Arabes ab Africa Calpem, quæ nũc Gibraltar dicitur, tranſuecti, cruentiſſimo prælio ipſis Gothis, eorumq; Rege Roderico profligatis, totam fere Hiſpaniã occuparunt. Quo in prælio Gothorũ omnis nobilitas cecidit, totaq; Hiſpania in ditione Saracenorũ venit præter Aſtures, & Cantabros, apud quos Pelagius Faffilæ Cantabriæ Ducis filius, nepos Gothorum Regis Cindaſuindi, animum ad opem patriæ ferẽdam adijciens, multos Chriſtianos metu hoſtium latitantes in ordinẽ coegit, eoſque adhortans, alacres admodum ad quoduis ſubeundum pro religione Chriſtiana, & patria periculum reddidit, adeoque ſibi ſubditos, & obnoxios effecit, vt ab ipſis Rex electus, & nominatus, animo inuicto, diuinoque auxilio cœperit Arabes bello premere, aliquotque vrbibus, & oppida ita cedere coegerit, vt Reges, qui poſt eum Hiſpaniarum ſceptrum conſequuti ſunt, maximis cladibus eos afficientes ab Hi-